

A. D.

TRIGAM  
THEOREMATUM  
LEGALIUM,  
ex materia  
MANDATI  
DE PROMOTORUM,  
*sub*  
P R A E S I D I O

Dn. JOACHIMI Rennentampf/  
Juri & Polit. Prof.

*eruditatum judicio subiunctum*

CORNELIUS MICHAEL

*Regionemque Borussiae.*

*Loco & tempore*

*MATOTRAS, IN MONTEZINIS.*

*MINISTERIUM*

R. D. G.

SCHOKER

CORNELIUS MICHAEL

18145 62

HONORI ATQVE GLORIAE  
VIRORUM

GENERIS AC MERITORUM LAUDE CLA-  
RISSIMORUM,

Dn. JOHANNIS à Fligeln/ Dn. GEORGII à Dunten/

Hereditarii in Kolzen/ Reip. Patriz  
Syndici meritissimi.

Aedilis supremi ac Senatoris gra-  
visimi.

Dn. M. HERMANNI Dn. PETRI à Pog-

Prößling/ Templi Petrini Diacon  
ni fidelissimi.

Tenutarii in Scrobysch ex-  
imii.

Dn. HERMANNI Sam- Dn. MELCHIORIS Drey-

sen/ Hereditarii in Westen/ Sena-  
toris ac Subprætoris aequissimi.

ling/ Secretarii spectatissimi , me-  
ritissimi.

Dn. CHRISTIANI Zim- Dn. HEINRICI Fligeln/

mermann/ Collegii Majoris Seni-  
oris.

Collegii Majoris itidem Senio-  
ris.

Dn. HERMANNI Fligelt. Dn. THEODORI Zimermann.

NEGOTIATORUM FLORENTISSIMORUM,  
QUORUM VIRTUS SINGULARIS, FIDES,  
IN PATRIAM

CIVIBUS EXTERIS

GRATA, NOTA,

INTER ALIAS VENERANTUM CONTEN-  
TIONES, ACCENSAQUE STUDIA, QUIBUS PLURIMI.

NUNC DEFUNGUNTUR, LEVIDENSE REVEREN-

TIA MONIMENTUM, JUXTA TOTAM STUDI-

ORUM SUORUM SPEM,

MENTE, MANU,

Devota submissa

ERIGIT

COGNATUS ET AFFINIS STUDIOSISSIMAS,  
CORNELIUS MICHAEL Mohrmann/ RESPOND.

XIIII. ANNO CCCLXVII. MDCCLXVII.  
XIIII. ANNO CCCLXVII. MDCCLXVII.

# Cum DEO !

TH. I.

**M** Andatum (*a*) est contractus consensualis  
(*b*) quo negotium (*c*) gratuitò (*d*) su-  
scipienti efficiendum committitur.

Nullus contractus majori fide constat, nullus quod; faci-  
liori perfidia læditur quam mandatum, quippe cum non  
omne quod habemus negotii transigere possumus ipsi, vi-  
cariâ aliorum indigemus operâ, & illis negotium nostrum  
gerendum committimus, quos amicos & fideles credimus;  
quod licet iis minimè grave sit, qui ipsi minimè leves sunt,  
& sua industriâ lubentes utilitatem nostram promovere so-  
leant, alii tamen, qui sequioris naturæ sunt, simulato sâpe  
officio commodis nostris officiunt, & sui quæstus cau-  
rem malitiosè gerunt: ex quo inductum, ut mandati semel  
suscepti fides vim obligationis habeat, & mandatarium ad  
mandati verba strictè detineat, excedentem v. aut negligen-  
tem justa actione constringat. Hæc mandati materia licet  
pro dignitate sua tam uberrimè se extendat, ut negotiorum  
gestoribus & procuratoribus in genere suo adaptari possit,  
cum hi non minus, ut mandatarii, prudentiam & sollicitudi-  
nem in negotio alieno perficiendo adhibere necesse habe-  
ant, per se tam encujuslibet natura distincta est, illi enim nō  
alterius nisi absens sine prævio consensu utilitatem quæ-  
sunt *l. 2 & s. s. de negot. gest.* Procuratores vero præ-  
sentis

locatorem, earumvè conductorem constituere possit § fin. Inst. b. t. ubi vid. Bach. Quod si tamen honorario quodam laborem & industriam mandatarii prosequi velit mandans, haud impeditur, nec exinde hujus contractus naturam immutat l. & ff. h. t. l. i pr. ff. si mensur. fals. mod. dixer. cum illud velut ultronea remuneratio gratuitæ operæ extrinsec⁹ accedat, non aliter ut in deposito, quod licet omni compensationi adeò aduersetur, ut pecuniam ejus causa datam actione depositi l. fin. ff. deposit. aut exactam condicione ob turpem causam l. fin. ff. de condic. ob turp. caus. repeatat, honorarium tamen, quod depositionis pretium abusive dicitur, non respuit l. 2 § si in re deposita ff. vi bon. rapt. Arum Exerc. 15. q. 5.

Honorarium hoc, quod etiam salarium dicitur, si oblatum fuerit, res dubitatione caret; at si promissum salem, quā actione & quando petatur, non æque in proclivi est, tali tamen medio rem componere nituntur Dd. si illud quod salarii nomine promissum (nam de mercede constituta aut missa quæ locati actione petitur § fin. Inst. de Locat. hic dicere super vacuum videtur) incertum plane sit, tunc si facienti aliquid abeat, quamvis nulla pecuniaria utilitas in alterum redundet, actioni prescriptis verbis locus est l. 5 § 2 ff. de prescr. verb. si v. hoc suo facto nihil damni senserit, missio illa incerta v. c. experieris me denuo gratum, nil trisi ad diligentiorē munieris functionem invitatio est, quam velut indebitum jus civile non agnoscit l. 15 § pen ff. h. t. l. 17. C. eod. Quod si autem certi salarii spes mandatario facta fuerit, per se quidem contraria mandati actio, quā id tantum, quod per mandati causam abeat, petimus l. 12 § 7 ff. h. t. locum non habet & sed si in continentie illo convenerit, alteratur ejus natura, & salarium actione mandati pacto ita extensa petitur arg. l. 24 l. 26 § 1 ff. deposit. alias ad Prætorem extra ordinem ut confugi-  
at

at necessitè est l. 7 ff. h. t. l 1 C. cod. finibil promissum, ex perso-  
na qualitate coargui debet, an familiaritatis gratia operam  
præstiterit, quo casu salaryum à mandato alienum est d. l. 1  
in fin. ff. h. t. fin. a. sustentationis ratione non tam univ. vel al-  
teri homini, quam causis ipsiis operetur, velut Advocatus,  
Medicus, ut illorum labor remuneretur æquum est, cù etiam  
apud Pretorem, qui operas æstimat, hac de re conqueri pos-  
sunt l. 1 § 1 & 10 l. 4 ff. de extraord. cognit. argt. l. 22 ff. de  
pref. verb. vid. clariss. illos viros Bach. ad Tr. Frantz. & Hahn.  
h. t. haec latius & doctius explicantes. Huic affine, quod Mer-  
catores de consuetudine ferè omnium locorū v. l. 31 § 20 ff.  
de adil. edict. suis mandatariis vel factoribus certam portio-  
nem, quam Provisiōnē gelder vocant, solvunt, ut in rebus di-  
strahendis emendis vè majorem curam, quam alias tenax &  
avara hominum natura detrectat, adhibeant, omniaq; ea  
quaæ utilia sunt, provideant.

## TH. II.

Mandatarii officium in eo potissimum consi-  
stit, ut mandatum suscepsum impleat, & fines il-  
lius observet.

**M**andatum ab initio suscipere cuivis liberum, at suscep-  
tum ut summā diligentia perficiat, rationis est l. 5 § 1.  
l. 22 § pen ff. h. t. quod si enim promissum officium deserat,  
non fidem solum & amicitiam res sanctissimas violat l. 1  
in fin. ff. h. t. sed etiam præsens commodum, quod vel per  
alium, vel sibi ipsi procurare poterat mandans, impedit &  
evertit, unde doli suspicionē incurrit sæpè, si quis nolit perse-  
qui quod persequi potest, aut si quis non exegerit, quod exi-

sentis quidem , ut plurimum negotia concessio mandato a-  
gunt, sed judicialia. t. t. de procurat. at mandatarius extra-  
judicialia negotia mandato præcedente expedit l. 20. § 1 ff  
mandat : sicut & ipsi mandatores & fidejussores, qui passim  
confunduntur. t. t. de fidejuss. & mandat. & h. t. mand.  
hoc medio disterminantur , quod hi quidem ex propria ob-  
ligatione teneantur l. 65 ff. de fidejuss. vid. quadixi in disput.  
de fidejuss. th. 2. sed cum alieno nomine id fiat, loco rei sunt  
l. 4 ff. de fidejuss. Mandator v. non loco rei est, sed alius  
reus , nec alieno , sed suo nomine velut credendi author  
obligatur & solvit l. Papinianus 28 ff. h. t.

Cum vero circa mandatum contingat sæpè , quòd  
alius contractus concurrat , nec idem negotium duorum  
contractuum vicem sustineat facilè , ad dignoscendum ,  
an mandatum vel alius contractus celebratus sit , & quæ-  
nam instituenda actio initium potissimum , seu qui primus  
contractus fuerit l. 1 § 13 ff. depositi , & causa quam præcipue  
secuti sunt contrahentes spectanda l. 8 ff. mand. quod si  
enim mandati causa potissimum celebretur , licet alius con-  
tractus illi ex post facto accedat vel incidat , non tamen hic ,  
sed ille considerandus venit , unde procuratorem dando  
cum de instrumentorum custodia non agatur , instrumenta  
postea denegata , non depositi sed mandati actione repetun-  
tur d. l. 8 ff. h. t. idem dicendum , si persona cui manda-  
mus sit procurator omnium negotiorum , vel certæ alicujus  
negotiationis , tunc si alius contractus ab illa dependeat ,  
vel sub ea includatur , mandatum est , & hujus bonæ fidei  
actio ad illum contractum velut appendicem extenditur ,  
& consequenter cædem actione mandati peti possunt ulteræ  
etiam citrastipulationem l. 6 § apud Julianum vers. plane  
ff. h. t. VEL simajor utilitas , quam semper contrahens  
intendere præsumitur. l. 25. § 1 de Obl. & Act. l. 8 C. de re-  
scind.

illum, qui mutuam poscit pecuniam, solvendo esse *inscius*  
affirmat *l. 7* § 7 ff. de *dolo*. vid. *l. 2* ff. de *proxen.* non hoc  
agat, ut aliquid ejus causa faciat alter, & quod fecisset fide  
sua futurum, sed solum ut commendato major fides habeatur,  
& consulenti aperiat sententiam: quare ipse explorare  
debet, utrum commendationi fidem habere, aut consilium  
sequi velit, eaenim, quæ ex animo dependent, quo animo  
dicta aut facta, probè expendere debet, ne actus a-  
gentium ultra intentionem illorum extendantur *l. 19* ff. de  
*reb. cred.* & dicta factaq; alterius in aliam partem accipien-  
do, sibi & alteri negotium facessat vid. *Mevius ad jus Lubec.*  
*lib. 3. tit. 10.* Cæterum si illa commendatio *specialis* fuerit  
ad contractum directa, quâ vel fidem facere *l. 24* ff. de *fidejuss.*  
. vel pecuniam commendato præstare laborat *l. 51* literas  
*C. h. t. l. fin. C.* quod cum eo qui in al. wie in offenen Wech-  
selengeschichtet/aut ejus conditionis, quem commendat, igna-  
rus non fuerit *l. 8* ff. de *dol* vel ex commendatione facta  
sibi lucrū captet, damit er seine Zahlung befomme. *l. 20* ff. de *dol.*  
*l. 52* § 11 ff. de *furt.* immunis non erit, sed hæc commen-  
datio ad obligationis necessitatē trahi, imò ut fraudulosa  
& affectata nimis doli judicium subire debet *l. consilii ubi*  
*Dd. ff. de reg. Jur.* vid. *Mevius d. l. Hering. de fidejuss. cap.*  
*18. n. 8 seqq.*

(d.) Hæc mandati natura est, quòd operas à man-  
dato, citra ullam mercedis exspectationem, solius officii  
causa gratuito præstandas exigat, cum enim illud ex amici-  
tia & officio originem ducat *l. 1* ff. *in fin. h. t.* indignum  
judicat, benevolas operas expensum ferre; quo ipso à locati-  
one, & conductione differt, quæ licet operas quoq; admittat,  
illæ tamen initio justa mercede estimat, ut ita, utilitatem il-  
lam patrimonialem seu pecuniariam ex operis provenien-  
tem, condigne compensare, & æqualitatem inter operarum

gere potest aut solvere l. dolus 44 l. 8 § 9 ff. b. t. vel mandati actione ad præstandum id quod sua incuria amissum, tenetur l. 27 § 2 ff. b. t. l. 16 C. cod. Tunc perfecisse omnia videtur, si mandati fines diligenter observaverit l. diligenter ff. b. t. cum enim à mandante profiscatur mandatum, & ejus causa suscipiatur, requiritur omnino, ut se Voluntatis ejus conformet, & strictè ad eum quo voluit modum negotium impleat, nam si excesserit, id culpæ & quasi errori proximum habetur, qui domino mandanti obesse aut præjudicare non potest, quin actum ut nullum & invalidum rescindat l. cum mandati 12 C. b. t. Egreditur autem mandati fines.

1. *in substantia*, si aliud pro alio contra mandati tenorem emat, quo casu, licet mandatarius neglecti mandati conveniri possit, huic tamen, cum nullam mandati partem adimpleverit, adversus mandantem actio non datur, utrem scilicet emtam habeat & pretium restituat l. 41 ff. b. t. (vid. Dn. Frantz ad ff. b. t. n. 77 aliter hanc legem interpretantem) etiamsi ejus conditionem meliorem fecerit l. 3 in pr. ibi ut interim nec melior ff. b. t.

2. *in quantitate*, si statuti pretii summam prætergrediatur, idq; vel in excessu, vel defectu, priori modo, usq; ad summam in mandato definitam rectè agit, qui enim plus impedit quam jussus, utiq; tantum expendit quantum jussus, itaq; tantum abest, ut queratur mandans, si remissio superfluo exigatur illud quod est intra fines mandati p. cap. usile de reg. Jur. in 6. ut sibi gratulari debeat de retam vili pretio emtā, l. 4 ff. b. t. L. 23 ff. b. t. § 9 qui exequitur Inst. cod. Quoad superfluum vero inutiliter mandati actione agit, cum illud mandati formam specificè observandam transcendat, & actio hæc tantum ex consensu utriq; obligationem producente, proveniat l. 11 ff. de Obl. & Act. An vero negotiorum gest. actio concedatur, quæstionis est? Neg. quippe cum hæc detur

*detur, ubi sine mandato negotium geritur.* 1. 1. de negot. gest.  
l. 20 § 1 ff. h. t. locum non habebit, ubi illud quod geritur  
*contra mandatum l. fin. C. de negot. gest.* & eo ipso dum suis  
finibus concluditur prohibitum est l. 40 l. 51 ff. h. t. aliâs  
mandantis voluntati, qui finem suis erogationibus fecit,  
non minimam injuriam inferre l. 31 § 4 ff. de negot. gest. &  
illam extendere ultra quam procuratio emissa præscripta  
videremur l. 21 in fin. C. de procurat. quod in effectu & re ipsa  
nihil aliud esset; quam quod mandato denegatum, negotio-  
rum gestorum actione contra juris formam ascribere, & illi-  
us medio exigere l. 3 § fin. ff. mand. nec interest, quod æqui-  
tati contrarium videatur, rem aut supererogatum pretium  
sine recompensatione retinere l. 32 ff. de reb. cred. l. 14 ff.  
*condic. indeb.* cum ultronea hæc & benefia erogatio nihil  
æquitati deroget argi. l. cuius per errorem l. damnum ff. de  
R. f. & eo solum casu obtineat, si mandatarius contrariam  
actionem instituat, non si mandans ipse rem majori pretio  
emtam directâ petat, tunc si ratum non velit habere excel-  
sum, non cogitur cum sui detimento rem illic edere manda-  
tarius, sed exceptione leuiter potest. Bach ad § 8 Inst. h. t.

*In defectu si deferrerit* mandatum, nulla datur actio,  
frustrâ enim petit rem ab illo ratam haberi, cuius voluntati  
planè non paruerit, l. 5 § 3 & 4 ff. h. t. qua de re mandans  
rem ab emtore vindicare l. 19 C. de procurat. nec illi excep-  
tio rei venditæ & traditæ obstatre potest. l. 5 § Celsus 3 ff. de  
except. rei vend. nisi emtor quod præscripto pretio deest  
offerre, & mandantem indemnum servare velit l. 5 § 4 ff. h. t.  
si ramen in utragꝫ specie rem Domini meliorem fecerit, vel  
majoris vendendo, vel minoris emendo, quam inunctum,  
nihil impedimento est actioni huic, cum utrobiꝫ mandato  
satis factum, illuc quoddam in majori summa minor temper insit  
l. 33 ff. h. t. l. 1 § 4 l. 83 § 3 ff. verb. obl. hic quod nihil ultra pre-

tium fecerit, & mandati sensus sit, ne pluris emeret, sed tan-  
ti ad summum, minoris vero si possit l. 5 § fin. ff. h. t. § 8 in fin.  
Inst. h. t. vid. Castrens. 2 cons. 240 qui hac de re consuluit.

3. *in qualitate*, si alia via & modo quam concessio rem  
expediat vid. l. 1 § igitur 12 ff. exercit. act. unde mandata-  
rius, qui purum & certum mandatum de vendendo habet,  
non potest illud excedere vendendo sub conditione, aut fi-  
dem de pretio habendo, sive mandatum illud certum fuerit  
ratione definiti precii, puta 10. 20. vendas, sive respectu cause,  
cum illo casu minoris vendat, qui fidem secutus in diem ven-  
dit l. 4 in fin ff. de in diem addict. § plus autem 34 ibi tempore 3 de  
action. vid. l. 5 § 1 ff. de jur. fisc. altero vero casu, causam, ob  
quam venditio instituta, puta ut Creditoribus solvat, non  
implevisse intelligatur l. à Divo pio 32 § sed si emtore, ubi Bart.  
ff. de re jud. l. 1 § igitur 12 ff. exerc. act. quamvis securus sit, si  
simpliciter venditio commissa fuerit, er sol es ihm zum besten  
verkauffen l. cuicunq. § si ei 14 ff. de inst. act. l. 7 § si procurator  
ff. pro emtor. Baldad l. incivile C. de Re vind. vid. Mevius ad jus  
Lub. lib. 3 tit. 6 art. 20 n. 32.

4. *respectu temporis*, puta ex certo tempore vel in  
diem fidejubere rogatus, si ante diem pure id faciat, man-  
datum excedit l. 51 ff. h. t. imò extra mandatum agit, un-  
de mandatorem ante diem convenire non potest, etiam si  
illud, quod interest, remittere paratus sit, cum iniquū plane-  
sit, ante diem cogere debitorem vel minimam partem solve-  
re l. 22 & § 1 ff. h. t. sic mandatum tempore limitatum,  
post tempus executioni dari non potest, aut si fiat, nec in  
delictis mandanti obest ex Angel. de malef. Reiher. in thes. jur.  
tit mand. n. 5. aut in contractibus prodest, eo enim ipso dum  
tempus apponitur, post tempus tacite revocatum censetur,  
nec ultra extendi potest. vid. l. 32 § fin. ff. de recep. arbit. l. 76  
§ 1 ff. V. O. Rot. Gen. decis. 27 n. 8.

Hac

Hæc ita ubi de voluntate constat, & certum mandatum est da gewisse Ordre erfheilet l. 46 ibi forma servanda quo-  
ties certum mandatum ff. h. t. cæterum si mandatum suis li-  
mitibus coercitum non est, sed præter mandatum cætera  
prudentia & providentia Mandatarii committiuntur, libe-  
rior quidem & laxior agendi potestas conceditur; quæ ta-  
men pro libidine ad res quasvis aut ad quemvis agen-  
di modum non extendenda, sed illam (1) bona fides definit.  
l. 60 § fin. & ad præsumptum mandantis commodum redu-  
cit l. 46 ff. h. t. Vultej. ad § is qui exequitur J. h. t. hinc ge-  
neralis potestas solvendi omnibus creditoribus, ad causas  
tantum, que juris necessitatem habent, restringitur, non vero  
ad illud debitum, quo mandans ipse firmiter non tenetur,  
extendi potest l. 94 § fin. ff. de solut. vid. Munoz. de Escab. de  
ratiocin. admin. cap. 23. num. 9. seqq. (2.) probè observeat  
Mandatarius, quid mandans ipse facere soleat argt. l. 12 ff. pign.  
act. Strach. h. i n. 19. item quæ sit mandantis verisimilis inten-  
tio & mens, ex scopo & fine ejus colligenda, hæc enim pro  
expresso habetur, & facienti quasi modum præscribit text.  
in l. 30 ff mand. vid. Gail. 1. de pac. publ. cap. 4. num. 29. decis.  
Rot. Genuens. 8. num. 5. & decis. 64. num 30. & pass. aut siquid  
ipse, à libero mandato recedens, se facturum rescriperit, id  
enim quasi specialiter mandatum esset, ad implere tenetur  
ex Rota Genuens. decis. 174. num 8. Mevius 3. tit. 6. art. 20. n. 12.  
(3.) secundum ordinarium usum & consuetum negotii perficien-  
di stylum, à quo semper mandatum interpretationem reci-  
pit decis. Rot. Genuens. 174 num. 14. rem expeditat argt. l. sejo 10  
§ 1 ff. de ann. legat. vid. Decius consil. 430. n. 5. & 6. hinc non  
excularetur, si per inconsuetam viam, vel tempore non  
idoneo, merces transmitteret, illæq; postea vel submerge-  
rentur vel subtraherentur l. 106 § 1 ff. de rei vend. l. quo-  
ties Cade Nanfrag. lib. 11. (4.) tutius inijs quæ sunt similia &  
equi-

*equipollentia l. fin. § fin. ff. vel minora mandatis, quam quæ sunt majora procedit, cum sua natura mandatum restrictivè intelligatur l. diligenter ff. b. t. diversa vero & quæ ad naturam commissi negotii non pertinent luscipere, aut in iis domino obesse nequaquam potest vid. Alciat. 8. resp. 67.n.6 & 19. seqq. unde qui mandatum ad rem vendendam habet, non potest illam permutare l. s § 11 ff. de inst. act. Mevius ad J. Lub. lib. 3. tit. 6. art. 20. num. 24. quem vide. Ea tamen, sine quibus negotium commodè explicari non potest, velut media ad finem ducentia, & quæ ut ipsa præambula, consequitiva l. ad rem mobilum s6. l. 63 ff. de procurat. & connexa mandatul. s. § 6. ibi quasi juxta mandatum et si non mandatum ff judic. solv. expedire non prohibetur argt. l. 2 ff. de JCTion. VVefenb. in parat. b. t. num. 6.*

### *T H. III.*

*Mandato ut plurimum finito (a) actio mandati exsurgit (b).*

*H*abet mandatum & suos terminos, quorum ex re ipsa alii, alii ex persona descendunt, illo modo perfectione & implectione illius negotii, quod demandatum est, extinguitur mandatum l. 22 § fin. ibi, ita susceptum consummari debet ff. b. t. l. 17. l. 21. vers. fin autem C. de procurat. Quod tamen tunc commodè factum cognoscitur, si inter mandatum dandi & faciendi distinguamus, ita ut hoc, cum primum factum fuerit quod erat injunctum, statim impletum esse videatur l. si mandatu as. in pr. cum §§ seqq. ff. b. t. illud vero non prius perfectum esse judicetur, quam dederit mandatarius id quod dare in le recepit, ut si creditori meo solvere mandatum sit, ille vero promiserit latrem, nondum mandato satisfecit manda-

mandatarius d. l. 45. § 4 ff. b. t. undē nec illi in me mandati  
actio conceditur l. 45. § 5 ff. b. nec mihi velut re integræ ejus-  
dem mandati revocatio denegatur l. 82. l. 106 ff. de solut. nisi  
creditor, cui solvendū meo iussū erat, promissione hac con-  
tentus fuerit l. 9. § 3. & l. 11. § 5 ff. pign. act. illumq; ut debito-  
rem novandi animo l. 58 ff. V. O. l. 3 C. novas. receperit l. 26. §  
abesse ff. b. t. l. 27 ff. const. pecun. l. 24 ff. neg. gest. v. Alciat ad l. 15  
ff. Reb. cred. Strach. de Mercat. tit. mandat. num. 3. & que olim  
in disp. de Mutuo & Usur. thes. 13. dixi. ans (quod majus est) si  
mandatarius ex sua promissione damnatus, propria actione  
rei judicatæ detineatur, tunc enim æquum est, ut mandati  
actione repetatid, quod de suo solvendum habet. d. l. 45. §  
4. & 5. ff. b. t.

Ex persona vero mandatum desinit esse, si VEL ipse  
contrahentes voluntatem mutaverint, aut Mors illam præ-  
maturè abruperit; Mutatis voluntatem mandans, si id quod in-  
junctum est expressè revocaveris § recte Inst. b. t. l. 12. § pen ff.  
eod. quippe, cum illius res geratur, & ejus causa mandatum  
suscipiatur, nihil impedit, quominus, re integra, antequam  
negotio initium dederit alter, mandatum expediendum  
inhibeat l. 15. ff. b. t. adeò ut sigerat postea mandatarius,  
nullam actionem hac de re habeat l. 5. l. 12. § 16 ff. b. t. l. 7 C.  
de fideijs. sed insuper pro qualitatæ rei gestæ, puta si pecu-  
niari exegerit, furti obstringatur l. 66 § 3 ff. de furt. l. 18 ff. de  
solution. quamvis tertio, qui hujus rei inscius mandatario sol-  
verit, hæc revocatio haud obesse soleat § 10 vers. & huic simile  
Inst. mand. l. 12. § 2. l. 38. § 1 ff. de solut. cum ille falsus procura-  
tor non sit, qui aliquando verus fuit argt. l. 76. § 3 leg. 2. pro-  
curatori enim prorsus falso qui solvit sicut dummos solutos  
non amittit, ita nec à creditore liberatur l. 43. § 1 l. 80 § 6 ff. de  
furt. l. 19. C. eod. cæterum si ipso mandatarius suorum bono-  
rum prodigus mores pristinos inverteret, illi sub specie than-

dati quod hactenus datum, ne in solutionem offerre, vel alium contractum exercere potest: causam enim banc supervenientem si scivis sit mandans, verisimiliter mandatum revocasset, eoq; legis dispositio ipsi succurrit, & mandatum illud pro revocato habet l. 38 l. 82. in fin. ff. de solut. l. 11 ff. depos. quæ, cum solventi nota sit, vele esse debeat, l. 2. l. 3. l. 9. ff. de jur. & fact. ign. nullam revocati mandati ignorantiam obtendere potest, sed si quid solverit, id citra ullam repetitio nem suæ facilitati asscribat, vid. Rot. Genuens. decis. 2. num. 30 Scacc. de camb. § 2. gloss. s. q. 16. Mandatarius verò mandatum suscepsum renunciando deserit, si mandanti facultas per se, vel per alium rem commode explicandi salva fuerit l. 22. § fin. l. 27. §. 2 ff. b. t. alias ad id quod interest tenetur, nisi intempestivam renunciationem justa causa excuset l. 23. seqq. ff. b. t. § 9. Inst. l. b. t. 8. in fin. cum l. seq. ff. de procur.

Mors quoq; mandato finem imponit l. 15 C. mand. si ve illa ex parte mandantis, si ve mandatarii contingat, cum priori modo, nulla utilitas ex remandata, quam tamen mandatum respicit, vid. tb. 1. in mandantem redundare posit, aut voluntas, sustinendo perficiendo negotio necessaria, ullatenus superfit l. 4 ff. locat. quod in tantum verum est, ut nec heredum nomine mandatum integrum exequi possit, aut tenetur mandatarius: personâ enim mandantis extinctâ sine mandato egisse, & heredum utilitatem, qui rem salvam forsan habere mallent, potius invertisse quam promovisse videretur, l. 57 in fin. ff. b. t. quanvis utile mandati actionem habeat, si mortis domini ignarus id fecisset, ne ei officium suum noceat, factiq; alieni probabilis ignorantia l. 20 ff. b. t. § rette in fin. 3. b. t. Nec tenetur ipse mandatarius, mandatum simpliciter suscepsum heredum causa implere, quippe, cum hoc amicitia ductus suscepit, illis, qui non ita in amicitia ut in bonis succedunt, suo officio gratificari haud obstrictus est, nisi specialiter heredum causa post mortem quid efficiendum amico promiserit l. 13 ff. b. t. aut res ulterius integra non fuerit d. l. 15 C. b. t. tunc enim & proprium interesse, & semel suscepti officii fides mandatum pertexendum suadet, vid. l. 21 § si vivo r. i. i. ff. de neg. gest.

*Si mandatarius moriatur, ob fidem & industria ejus electa l. 57 in fin. ff. b. t. l. 35 ff. p. socio adeo mandatum solvitur, ut heres et si velit mandatum exequi non possit, aut si exequatur actionem non habeat. l. 27 § morte ff. b. t. Quid autem si negotium à defuncto inceptum fuerit, & quæ perficienda restant, illi connexa sint, an heres ad impletionem eorum teneatur? ita quidem Bach ad § recte Inst. b. t. vers. ex persona mandatarii, per l. 5. § 5. l. 37. § 1 ff. de adm. tut. l. 13. de tutel. & rat. distr. l. 11 C. arbitr. tutel. statuit vid. quoq. Frantzke ad ff. b. t. in fin. qui hoc aliquantulum lenit; sed, pace tantorum virorū, dubitationis causa querere liceat, si defuncti industria & fides electa, cur heres, qui vel propter sexus vel ætatis infirmitatem, vel propter dignitatē majorem minoremve habilis non est onerand⁹? contra Jētum. in l. 9 ff. de cura fur. vid. l. 31 ff. de solut. aut unde necessitas illa continuandi heredi eveniat? cum per defunctionem non stererit; quominus negotium impletū sit, sed intempestiva mors soluoīdo in causa, cuius tristem casū heres præstare non potest nec debet l. 23 R. J. & si heres, putans sibi licere exequi, quod suæ curæ fecerat defunctus, nihil aliud consequatur, quam ut se à furandi scelere liberet. l. 57. ff. b. t. quomodo in conexis operabitur, aut quid consequetur, dum consultò se ipsum ingerit? l. 36 ff. R. J. an major licentia, necesitas, aut æquitas in conexis? sed hæc vel totius pars sunt, vel cum toto eandem originem habent, adeoq; de conexis idem quod de principali statuendum erit l. 43 ff. R. Vind. argt. l. 16. ff. aqm. tut. Gaik l. Oks. 38 n. 8. immo cum factente Bachov. d. l. etiam re non integra mandatum ob mortem mandatarii intercidat, nonne istud respectu conexorum quoq; oblitus, ob quæ res integra non est? nec allegatz. II. nullam remoram facere videntur, VEL quod illæ favore pupillorum ita constitutæ, VEL quod magis est, eadem persona officii aut pietatis debito id, quod administravit antea, pertexit, non vero post mortem ejus tutelæ continuandæ onus heres qua talis subire cogitur aut potest § 3 j. quib. mod. tut. fin. l. 6. § 6 ff. qui n. i. infam.*

(b) *Actio directa, quæ mandanti, cum ipsius interesse incipit, datur l. 8. § 6. b. respicit durante negotio mandati exequutionem, de qua th. 2. finito verò negotio rationū de suscepto mandato redditionem l. 46 § 4 ff. de procur. hæc consistit (1) in restitutione eorum, quæ ex mandato*

dato, aut eius occasione d. l. 46. l. 8. § 1. de neg. gest. mandatarius con-  
sequens est, ut sunt fructus l. 10. § 2. & 9. l. 59. § 1. & usuræ, etiam contra mandatum perceptæ l. 10. § 8. aut ex mora præstandæ l. 10. § 3 ff. b. vid. l. 13. § 1. de usur. cum b. fidei congruat, ut nihil remaneat apud mandatarium l. 20. ne ille lucrum ex hac causa acquirat l. 30. § 1. aut damnum sentiat mandans l. 10. § 4. ff. b.  
unde & actiones, quæ alias contra tertium non dantur l. 1 C. per  
quas perf. l. 49. fin. de acq. poss. cedere tenetur l. 8. § 5. l. 27. § fin. cum  
l. seq. quamvis utilis tunc competit, si vel ex re domini l. 68 ff. de  
procur. ubi Castrenf. l. 13. § 15 ff. act. emt. vel in præsentia ejus manda-  
tarious contrahat l. 79 V. O ubi Gypb. aut ob absentiam, vel mortem  
mandatarii cedi non possit actio argt. l. 2. de Inst. act. l. 18. § fin. de  
damn. inf. l. 5. de præt. stip. vid. Rot. Gen. decis. 215. (2) in recompensa-  
tione eorum, quæ dolo, infamiam inferente l. 1. §. 6. qui not. inf. § 2.  
j. de pœn. tem. lit. commissa sunt l. 8. § 9. l. 44. b. aut culpæ l. 26. § 7  
ff. l. 4. C. b. etiam levissimæ, ob electam & tacitè promissam industria-  
m, omissoa sunt l. 11. l. 13. l. 21. C. b. non tamen quæ casu eve-  
nere l. II. C. pign. att. nisi culpa illum præcesserit § 2. Inst. quib. mod-  
re contr. aut assecurationis causa premium receperit mandatarius,  
vid. Petr. Santern. de assecurat. pass.

Contraria mandatario datur l. 12. § 7. ad repetendos  
sumptus l. 10. § 9. l. 27. § 4. & usuras ob mandati causam con-  
tractas l. 1. C. b. l. 37. de usur. aut amissas l. 12. § 9.  
et si infeliciter l. 4. C. aut probabili de causa negotium transactum  
non sit l. 56. § fin. ff. b. Damna quoq; l. 15. quæ ex re commissâ  
l. 26. § 7. non tamen quæ extrinsecus in hoc voluntario negotio eveni-  
unt repetit d. l. 26. § 6. nisi tempore mandati, puta quod milites  
& Latrones tunc grassarentur, illa apparuerint argt. l. 5. § 1. C. de  
spons. l. 13 § 6. ff. de damn. inf. v. Hier. Laur. in decis. Aven. 126.

## A F F I N I A.

1. Legatus bonis spoliatus restitucionem petit, nō mandatarius.
2. Legationis violatori talio reddi non facile debet.
3. Legatus tamen hostilia cum tertio tractatus intercipi  
potest.

*scind. vend. in mandato quam in alio eluceat l. 1 § quod si rem 12 ibi quia plenius fuit mandatum habens & custodie legem ff depositi. Cæterum si nec unidandi, nec alteri recipiendi mandati animus fuerit, sed alium contractum principalius intendant; aut contractus ille qui nominatim mandatur à præcedenti mandato non dependeat, sed suam separatam habeat formam; vel mandatario in sui favorem committatur, ut pecuniam mandantis, cui voluerit credat, si biq; negotietur, non mandati, quod materia subjecta excludit l. 2 in fin. ff. h. t. sed illius negotii, quod gestum est, i. e. mutuiratio habetur, & mandati verbo quid fieri potius, quam ipsum mandatum significare voluerunt contrahentes l. 6 § 6 ff. h. t. indeq; nec Usuras quasi ex causa mandati, si in stipulatione deductæ non sunt, petere potest, mandans l. 10 § 4 ff. h. t. vid. quæ habet de his Molin. de Usur. num. 648*

(b.) Consensus ille ad mandatum constituendum an voce inter præsentes, vel inter absentes per nuntium l. 1 § 2 ff. h. t. l. consensu § 2 ff. de Obl. & Act. aut literis l. 27 l. 60 § 1 ff. h. t. declaretur, parum interest, cum enim totius obligationis robur à mutuâ voluntate dependeat, potius quid voluerint & senserint, quam quibus modis id expreßerint, attenditur: cum eo insuper utilitatis causa itum sit, ut per silentium & patientiam mandatum inducatur l. 6 § si passus l. qui patitur 18 ff. h. t. l. 6 C. eod. l. semper qui non prohibet 60 ff. de R. J. quasi re ipsa & facto mandare intelligatur, qui patitur, ut suo nomine in rem suam alias quispiam quid faciat vel instituat, vix enim credibile, quod illud, quod sibi commodum, quis respuat, vel si id nollet protinus dissentiendo non irritaret, vid. Dd. ad l. qui tacet ff. de R. J. scitè Hilliger ad Donell. 12 cap. 27 pr. nec mirum, cum rationabitioni hæc vis ascribatur, quod ille qui cognovit contra-

Etum suo nomine celebratum, illumque vel expressè consen-  
su sc. aut facto suo l. s ff. rem rat. hab. Veltacite, non contra-  
dicendo l. quo enim § 1 ubi Bart. ff. rem rat. hab. approbat,  
mandare intelligatur, adeo ut fictione juris ad tempus ne-  
gotii celebrati hæc ratihabitio trahatur l. fin. C. ad SCT.  
Maced. & ratihabens, cujus negotia gesta sunt, contraria  
mandati actione obstringatur, l. semper oo. ff. de R. J. vide  
Lopez. anim. jur. cap. 31. & Riemer. dec. 11 q. 6. imò in de-  
lictis ratihabitio mandato æquiparatur, l. 152 § in maleficio  
ff de R. J. l. 1 § 14 ff. de vi & vi arm. si illud quod suo nomi-  
ne gestum tali modo ratificet; non quasi ratificans ipse ho-  
miciidium vel delictum illud præteritum operari possit,  
cum in delictis ex ratihabitione facti præteriti, ipsum fa-  
ctum, per quod damnū illatū est, tanquam à causa efficien-  
te vel movente non dependeat; sed propter applausum &  
jucunditatem, quam ille ex injuria alteri illata sentit, fictio-  
ne juris habetur quasi mandatèt, qua de re non ordinariæ  
poenæ, quæ exteriorem operationem vel motionem in ip-  
sum delictum influentem, requirit, sed extraordinariæ loc⁹  
est vid. Covarr. ad clem. si furiosus part. 2 § 1 num. 4 seqq.  
Trentacing. l. 2 resol. 9 de procurat.

(c) Negotium seu factum illud quod mandatur, (1.)  
honestum & licitum esse debet, res enim flagitiosas, sicut nulla  
societas l. 57 ff. pro socio aut aliis contractus l. generaliter 26  
l. flagitii 123 ff. V.O. ita nec mandatum obeundas recipit  
l. 6 § 3 l. 12 § 11 id ff. b. t. v. c. non est obligatorium de reg. jur.  
in 6. inde nec mandanti adversus mandatarium ob negle-  
ctum mandatum, nec mandatario adversus mandantem si  
quid damni aut poenæ senserit l. 6 § illud 7 Inst. b. t.  
ob præstitum ex mandato actio conceditur l. 22 § 6 l. 12 § 11  
ff. b. t. proprie mandatum tamen, si tertio damnum illatum,  
nec mandatarius, qui ad rem turpem patrandam non obliga-  
batur,

batur, nee mandans ipse excusat<sup>t</sup>ur l. 11 § si mandatu<sup>m</sup> 3 ff. de  
injur. vid. 2 Sam. 11 ¶. 15 & 12 ¶. 9. sed uterque pro deli-  
cti commissi qualitate suam sustinet poenam , ille ut delicti  
patrator, hic ut impellens & voluntatem ad delictum fle-  
tens, qui exinde non minus quam executor ipse tenetur ,  
cum de jure paria sint damnum ipsum aut ejus causam dare  
l. 15 § 1 ff. ad l. Cornel de Sicar. l. 169 ff. de R. J. vide Petr.  
Theod. colleg. crim. disp. 1 th. 27. Quam tamen regulam non  
eo extensum volumus , quasi 1. ille quoqve qui indirecte  
citra dolum malum delicticausa fuerit, æquali cum manda-  
tario teneatur poena , quin potius defectus ille voluntatis  
directe & deliberatè in homicidium sc. non concurrens, si-  
cūt culpm ipsam , ita & pñnam mitigandam suadet, ne vi-  
deamur contra juris regulas, quod voluntatem & proposi-  
tum in delictis exigit , l. 1 § 3 & l. 14. ff: ad l. Cornel. de  
Sicar. illam exasperare , & ea qua per accidens à re mala , cui  
opera datur , & tanquam effectus remoti ex opere aliquo il-  
licito proveniunt , necessario & per se ad ordinariam pœ-  
nam subeundam mandanti imputare , vide Arum. Exerc. 15.  
quest. 8 & 9. Frantz. Exerc. Inst. 14. q. 8. & ibi Fibig. nec  
2 dicta regula suum retinet robur, si mandatum re integrā  
revoeatum fuerit, quippe cum mandatarius mandantis no-  
mine hoc quicquid est negotii efficiendum suscipiat, si re-  
vocatio à mandante facta ante operis executionem man-  
datario innotescat , cessat omnis motio & agendi ratio à  
mandante proveniens , indeq; si mandatarius non attenta  
revocatione ad executionem processerit, mandatario po-  
tius, quam mandanti delictum illud, ut ascribatur, fas est ,  
vid. Menoch. 2. cas. 352 n. 7 Covar. ad d.clem. p. 2.n.g.v. quinto.

(2.) Ipsi<sup>s</sup> mandantis interesse debet, ut man-  
datum suum effectum consequatur, & mandati actionem  
vel ad perficiendum quod susceptum est, vel ad præstandum  
quod

quod interest l. 8 § 6 ff. h. t. producat, idq; R. I. 1. 1. 1. 1. 1. 1.  
principaliter & directo l. 2 ff. h. t. & § 1 seqq. Inst. 1. 1. 1. 1. 1. 1.  
VEL ex post facto saltem & per consequentiam, dum negotio  
tum illud, quod alieno nomine principaliter suscipitur § 1. 1. 1. 1. 1.  
ena f. h. t. mandantem tamen simul indirecte respiciat &  
concernat l. 6 § 4 ff. h. t. quod sc. tertio isti jam amea acti-  
one mandati tenebatur l. 38 § 20 ff. de Verb. Obl. § sed &  
si quis 20 f. de inutil stipul. aut quod ex post facto ipsius in-  
ter incipiat, negotium tertii, cui negotiorum gestorum  
actione tenetur l. si quis mandatu 28 ff. negot. gest. bona fi-  
de geri; hinc quoque in d. l. 8. § 6. non dicitur, ei tantum  
competere qui mandaverit quod sua interest, sed tum com-  
petere, cum cæperit interesse ejus qui mandavit: Quod si  
enim mandantis nullo modo interfuerit, sed simpliciter res  
gerenda eum tantum, cui mandatur, tangit, consilium est  
quod exinde obligatorium non est, quod nullam audiendi  
necessitatem impoedit, sed ipsi liberum jus eligendi ex-  
plorandi; utrum expediatur vel non, relinquat, § tua tantum  
Inst. b. t. l. 2 in fin. ff. eod. modo consilium illud indefinite  
simpliciter mandatarii causa datum fuerit l. consilii ff. de R. J.  
cap. nullus de R. J in 6. si enim illud ad tertium quoq; pertine-  
at, aut ille hareniem & quasi reluctantem ad faciendum mul-  
ti iugis persuasionibus urgeat, fidem suam pro illo interposu  
ille, argt. l. 32 ff. h. t. & illius aut sui potius quam mandatarii  
causa, id mandasse videtur, imo culpa nonnihil sustinet, qui  
tam temere de illo confirmat, cui, nisi illo seatore, non cre-  
dideret alter, quia propter sequum est ut fidem suam, ade  
quicquid intervenit culpa, mandati actione praestet l. 13 ff.  
t. vid. l. 13 § 3 ff. action. emps. vid. Bach. ad § tua tantum  
gratia Inst. b. t. Ex quo judicandum facile, quod ille qui  
nude & generaliter literis suis absentem conuenientat cum quida  
cum quida l. 12 ff. b. t. l. 19 in pr. & § 5 ff. de adi. etat. aut  
illum.